

I

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM DE QUINQUENNALI RELATIONE A RELIGIONIBUS, A SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS ET AB INSTITUTIS SAECULARIBUS FACIENDA (*)

Cum, transactis iam viginti quinque et amplius annis a publicatione Decreti Sancitum est, sub die 8 Martii 1922, quo ordinabatur relatio quinquennalis a Supremis Religionum Moderatoribus ad Sanctam Sedem mittendam (c. 510), experientia clare docuerit quanam ex ibi praescriptis confirmanda definitive videantur, quanam illis adenda, quanam autem demenda aut corrigenda sint, prout a dicto Decreto iam innuebatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita incoetur plenario Eminentissimorum Patrum diei 4 Julii 1947, quae sequuntur statuenda decrevit:

I. Ad normam Codicis (can. 510) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae (can. 488, 8), Moderator Supremus cuiusvis Religionis et Societatis vitae communis absque votis publicis (can. 675) pariterque Moderator Supremus Instituti saecularis iuris pontificii et praeses cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum saecularium, ipsisque deficientibus vel impeditis, eorundem Vicarii (can. 488, 8.^o), quinto quoque anno relationem de statu Religionis, Societatis, Instituti vel Foederationis ad Sanctam Sedem, scilicet ad hanc Sacram Congregationem Negotiis Religiosorum praepositam, mittant, etiamsi annus pro exhibenda relatione assignatus, ex toto vel ex parte, in primum biennium ab inito regimine inciderit.

II. Quinquennia sint fixa et omnibus, uti supra (n. I), communia, ipsaque a die prima Ianuarii 1923 computari pergant.

(*) A. A. S., 40 (1948), p. 378-381.